



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1729. usque ad annum 1731

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1785**

**VD18 13322648**

§. 53. Lusitaniæ rex cum Sede Apostolica in gratiam reversus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67677)

Sæc. XVIII,  
A. C. 1731.

## §. LIII.

*Lusitanicæ Rex cum Sede Apostolica  
in gratiam redudus.*

Fervebat adhucdum pristinum inter Papam & Joannem V. Lusitanicæ Regem dissidium. Illius causam jam supra retulimus, denegatam scilicet Purpuram Bichio Apostolico Lusitanicæ Nuntio, quem Rex inter Purpuratos statim numerari petierat, Cardinales vero ob varia, quæ ei objectabantur, crimina indignum reputabant: Ea res Regem tantopere offeuderat, ut vel ipsis Sacris comitiis subjectos sibi Cardinales interesse vetaret. Nihilominus de placanda Regis indignatione non desperabat Cienfuegos Cardinalis, qui nil eorum, quæ reddendæ concordie apta forent, prætermisit: nec minus ad tollendum plurium annorum dissidium promptum sese exhibuit Pontifex, unice exoptans, ut ipsemet Bichius debitæ subjectionis exemplo prævie viam ad reconciliationem sterneret: Eo fine Pontifex datis ad eum literis præcepit, ut nulla mora ex Hispaniis in Italiam contenderet: Paruit illi & jussis Bichius, hoc anno Liburni portum assecutus, quo subsistere jussus ulteriora Pontificis mandata expectavit, mox tamen literas

X x 5

sub-

Sæc. XVIII.  
A. C. 1731

submissione plenas, ac sinceræ penitentiæ testes ad Papam dedit, veniamque perdemisse rogavit. His emollior Pontifex dato ad illum responso eodem ad patientiam hortatus est, pollicitatione facta, illum brevi in gratiam receptum iri: Interim vero in ejus vitam hucusque transactam sedulo inquire jussit, cumque comperiret, illum crimina, de quibus apud Prædecessores Papas incusatus fuisset, penitus soluisse, suamque integritatem fidei in exequendo Legati munere, sacræ Sedis comprobasse, benigniorem de eo conceperat opinionem. Accessit etiam Regis desiderium, quo incitatus, primum inter Cardinales Bichium nominabat, misso ad eum Sergardio Abbate, qui Liburni eidem rubrum imposuit galeum, simulque ad itineris expensas ex Pontificio ærario tria aureorum millia tradidit: Eodem tempore, ut memoravimus, Papa Josephum Firacum quem Bichio in Legatione Lusitana rogaverat, eodem honore insignivit, cum autem Rex, ut hic suo officio fungeretur, utpote alterum Regiæ indignationis argumentum, nunquam promitteret, Pontifex ad eliminandam pestem diffidii radicem Cajetanum de Cavaleriis Apostolicum in Lusitania

Nuntium designavit, a Rege totaque Sæc. XVIII.  
 Aula splendide ac honorifice anno se- A. C. 1731.  
 quenti exceptum. Ita demum pristina  
 tranquillitas feliciter reddita est, ac  
 restitutum mutuæ benivolentiæ com-  
 mercium, Bichius etiam die octava  
 Februarii Romam ingressus, pluribus  
 Patrum Congregationibus adlectus fuit.  
 Hujus tamen electioni adhucdum ob-  
 strepebant Cardinalium nonnulli, qui  
 haud satis mirari poterant, illum non  
 modo tot beneficiis augeri, sed etiam  
 Purpura honorari & quidem ab eodem  
 Pontifice, qui adhuc Cardinalis sæpius  
 coram Papa declarabat, se salva, quam  
 Sedi Apostolicæ deberet, reverentia  
 nunquam admissurum, ut Bichius,  
*perfidus iste, ac infamis homo* inter suos  
 Confratres numeraretur: Attamen Pon-  
 tificex exuto vetere Bichio novum & e-  
 mendatiorem Bichium Cardinalem  
 creavit, & ut Regem plene sibi concii-  
 liaret, eidem indulgit unum Cardina-  
 lem nominandi privilegium, & quæ-  
 dam beneficia sine prævio Pontificis  
 consensu conferendi jus. Hæc pacta  
 a summo Pontifice & Lusitano Ora-  
 tore Almida subscripta. Rex cum in-  
 genti lætitia Ulyssipone publici juris  
 fecit.